



Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani,
Liberi Baronis De Furstenberg**

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Roma ... Tumulus Sallionis. Homerus Caecus. In Zoilum Luscum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

76 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Præluxit Ninive Delphis quantum alta Batavis,
Tantum me superas judice Grotiaden.

R O M A

*ab insidiis Gallorum vigilantia anserum conservata, & per fugam
leporis capta ab Arnulpho Germania Rege.
Anno D C C C. X C V I.*

AN SERIS excubiis servata fidelibus olim
Capta fuit leporis Roma fugacis ope.
Sic minimo victrix, minimo devicta, salutem
Debet & exitium, maxima Roma suum.

T U M U L U S S A L L I O N I S.

SALLIO fax belli quo nunc Trinacia flagrat
Acrius ignifero quam furit Ætna jugo,
Heic situs est. Olli meritis pro talibus opta,
Ut terra ingenio sit leviorque fide.

H O M E R U S C Æ C U S.

ORBUS Mæonides oculorum lumine, vatum
Lumen, & Argivæ gentis ocellus erat.

I N

Z O I L U M L U S C U M.

ZOILUS est uno, sua cum legit, orbus ocello:
Cum mea scripta legit, luscus utroque
videt.